

# Kirchliches Verordnungs-Blatt

für die  
Lavanter Diöcese.

Inhalt: 38. Alloquatio PP. Leonis XIII. ad S. R. E. Cardinales die nativitatis Suae nonagesimo habita. — 39. Indictio Indulgentiae plenariae a Sanctissimo Patre Leone Papa XIII. occasione celebrationis secundae Synodi dioecesanae Lav. concessae. — 40. Decreto S. Congr. Indulg. de regulis ad dignoscendas veras Indul-

gentias ab apocryphis. — 41. Einladung zur Theilnahme an der Feier der Heiligpredigung des seligen Joannes Bapt. de la Salle und der seligen Rita a Cassia. — 42. Die Ordination und die Ordinanden. — 43. Weiheungen zur Abschließung von Verträgen. — 44. Diözesan-Nachrichten.

## 38.

## Alloquatio ss. Patris Leonis XIII. ad S. R. E. Cardinales die nativitatis Suae nonagesimo habita.

### Venerabiles Fratres!

Cum praesentem ingredimur Pontificatus Nostri annum, Ipsi — humanitus loquendo — miramur longaeam vitam paucis concessam. Sed quis potest Providentiae nosse consilia? Hoc tamen ad omnium solatium novimus, cunctos, sive senes, sive iuvenes, sub alis morari caritatis Dei, qui omnium pater est, et semper amat quando concedit vitam, amat quando eam aufert. Adoretur itaque in humilitate et devotione perenniter divinum, qualemque illud sit, beneplacitum. Interim ineumbens nobis officium est, non parcere viribus ultimis, imo eas omnes et parata voluntate — quemadmodum studemus — impendere servitio Sanctae Ecclesiae. Verum quidem est alti officii onus gravius seniles premere humeros, sed hoc respectu Ecclesia tenet ab alto promissum, pignus tutaminis contra omnem humanam infirmitatem.

Quid refert symbolici navigii gubernaculum debilibus commissum esse manibus, cum novimus in puppi vigilare et gubernare invisum divinum navis rectorem? Benedicta sit virtus brachii sui, et misericordiarum suarum multitudo.

Suos bene feret fructus annus iubilaei, Domine Cardinalis, quemadmodum sperat et precatur Sacrum Collegium. Feret eos certo, cum in opere iuvandi animos sollicitudini Ecclesiae semper iunguntur potentes gratiae influxus. Ecce iam in umbra maiorum Basilicarum religiosi sensus conspicue cernitur motus. Incolarum Urbis pietati digne respondet illa advenientium ab exteris oris; hos et illos sine discrimine complectitur, sicuti filios, Petri civitas, et indulgenti bonitate eos iuvat, ut semet renovent in Spiritu, hoc est, ut semet reddant meliores, magis probos, misericordiores, iustiores, promptiores ad sustinenda forti animo aspera vitae moralis certamina. Hoc intenditur, hoc quaeritur ritu speciali per decursum anni sancti.

Si alii ex hac traditionali caeremonia occasionem sumere volunt calumniandi et vilipendendi, Deus illis ignoscat; carnalis oculus in materia fixus nil nisi materiam videt. Sed ubi vel parum perpenditur in mundo eminere primumque locum tenere ordinem bonorum infinite maiorum omni materiali utilitate, quae nam anima honesta nolle revereri intenta Sedis apostolicae, quando extraordinaria industria se nuntiam ministramque facit spiritualis renovationis? Et Roma christiana nunquam appetet tanto sibi similis, quanto in medio harum cararum serenarumque solemnitatum fidei. Sunt hae solemnitates sua recurrentia memorabilia festa, sunt hae vera sua festa, quia efflorescent sponte ex interne suo esse, et excelsae suae iunguntur destinationi, quam vis creata mutare nequit. Profanae manifestationes, scenae sacrilegæ possunt, permittente Deo, locum habere super Romae solo, ast haec non sunt romana.

Gratias Vobis agimus Venerabiles Fratres, pro amabilibus Vestris sensis, quae denuo testati estis ore venerandi Vestri decani, et magis adhuc pro constante Vestra devotione, quae Nobis semper fuit et est maximorum solatiorum humanorum unum. Caeterum ne videatur Vobis ab inde hodierni anniversarii alienum, cum Vos invitamus, ut Vos Nobiscum coniungatis in sancta unitate precum per intentionem plene conformem praescriptis illius evangeliae caritatis, quae nec distantiam loci novit nec differentiam gentium. Supplicemur uno corde omnes Domino, velit respicere misericors sanguinolentum bellum, quod a mensibus bellatur in africana terra, nolitque permettere, ut illud progrediatur ulterius. Omnes sunt filii sui et fratres nostri qui ibidem certant in duro agone anxietatum bellicorumque periculorum, et iam nimiae sunt hinc et illinc victimæ. Velit Deus benedictus paterno

oculo eos respicere, extinguere iras, et conducere corda ad reciproci moderaminis propositum et ad concordiam, ita ut possint redire quam primum ad amicitiam sinceram, firmam, consecratam in mutuo osculo pacis et iustitiae.

Tamquam pignus coelestium favorum et testimonium nostri amoris impertimus e toto corde Saero Collegio, episcopis, praclatis et omnibus nobis adstantibus benedictionem apostolicam.

39.

Indictio Indulgentiae plenariae a Sanctissimo Patre Leone Papa XIII.

occasione celebrationis secundae Synodi dioecesanae Lavantinae gratiosissime concessae, nec non apostolicae Benedictionis, quam augustus Pontifex praesuli, clero ac fidei populo impertiri dignatus est.

I.

Litterae supplices,

Summo Pontifici Leoni divina providentia Papae XIII., mediante Reverendissimo Domino Archiepiscopo Emygdio Taliani, Nuntio apostolico Vindobonae, missae pro obtinenda facultate, plenariam concedendi indulgentiam, uti moris est in celebranda Synodo dioecesana.

Excellentissime ac Reverendissime  
Domine Archiepiscope!

Petitionem, quam semel atque iterum in audiencia, die 18. mensis Martii currentis anni habita, ore protuli, nunc scripto renovo instanter, ut nempe Amplitudo Vestra Reverendissima adnexas meas litteras supplices velit Sanctae Sedi Apostolicae substernere, apposita commendatione gravi.

Pro qua gratia grates intimas semper rependam Excellentiae Vestrae Illustrissimae.

Excipiat quaequo Excellentia Vestra Colendissima singularis venerationis et peculiaris observantiae sensa, quibus persisto

Reverendissimi Domini Nuntii Apostolici  
addictissimus ac devotissimus  
servus  
† Michael,  
Episcopus Lavantinus.

Marburgi, die 11. mensis Aprilis 1900.

II.

Beatissime Pater!

Iuxta sacerorum canonum praescripta anno Domini 1896 primam Deo bene iuvante celebraqvi Synodum dioecesanam, cuius gesta et statuta typis excusa in audiencia, auspicato die 13. mensis Maii anni 1897 benigne mihi concessa, Sanctitati Vestrae obediente ac reverenter obtuli.

In praesenti denuo mihi in votis est et cum clero tum populo curiae meae pastorali commisso perutile ac necessarium esse puto, a vesperis diei tertiae usque ad septimum diem mensis Septembris huius anni sacri seu iubilaci secundam Synodum, sua divinae maiestati, Domino nostro

Iesu Christo, verbo incarnato, magistro soli ac pastori et animarum episcopo consecrandam, in ecclesia maioris clericorum seminarii sancto Aloysio dedicata quo sollemniori modo celebrare in commune bonum cleri pupulique Lavantini.

Ut vero opus tam grave quam pium uberiori cum animarum fructu fiat, enixe exoro, ut Sanctitas Vestra mihi gratiose impertiri dignetur facultatem, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, uti moris est in celebranda Synodo dioecesana, concedendi, nisi forte tali modo, ut postulata indulgentia animabus christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab haec luce migraverint, per modum suffragii applicari possit.

Tibi, beatissime Pater, meae Synodi opus, uti par est, maxima animi devinctione subiicio Tibique in omnibus et singulis filialem obedientiam recenter promitto, spondeo ac iuro, fore, ut cuncta in Synodo statuenda et decernenda deprompturus sim e fontibus sanctae matris Ecclesiae, imprimis e constitutionibus summorum Pontificum et vel maxime e Tuis praeclaris litteris apostolicis, quibus omnem aevi nostri conditionem, omne periculum, necessitatem omnem e sublimi specula Tua perspexisti, doctor infallibilis explanasti, medicus peritus sananda curavisti.

Adeo ergo ego cum fiducia ad thronum Tuum, ut misericordiam consequar et gratiam inveniam in auxilio opportuno. Ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus pro me et meo clero et populo fidei benedictionem apostolicam ardenter imploro

Sanctitatis Tuae  
humillimus, devotissimus et obsequen-  
tissimus famulus et filius  
† Michael,  
Episcopus Lavantinus.

Marburgi, in festo s. Leonis I. Papae Conf. et Eccl. Doct., tertio Idus Apriles 1900.

III.

Responsum.

Relate ad prostantes litteras supplices responsum rogatori redditum est die 18. mensis Maii 1900, quo erat scriptum:

Nunziatura Apostolica  
Viennae, die 17. Maii 1900.  
Oggetto.

No. 4580

Celsissime ac Reverendissime Domine!

Supplicem libellum Beatissimo Patri datum, mihi a Celsitudine Vestra Reverendissima una cum litteris diei 11. elapsi mensis Aprilis missum, ad thronum Sanctitatis Suae transponere suo tempore curavi.

Gratum modo mihi est Celsitudini Vestrae significare Beatissimum Patrem libenter delatam sibi supplicationem admisisse expetitamque gratiam Indulgentiae plenariae, occasione celebrationis secundae Synodi dioecesanae, iuxta preces concessisse.

Benedictionem insuper Apostolicam augustus Pontifex toto ex corde Celsitudini Vestrae, clero ac fideli populo istius Dioecesis impertiri dignatus est.

Quae pro meo munere Celsitudini Vestrae communicaens, occasione hac libenter utor, ut observantiae meae sensus profitear

Celsitudinis Vestrae Reverendissimae  
Addictissimus famulus

† E. Archiepiscopus Sebastenus  
Nuntius Apostolicus.

Celsissimo ac Reverendissimo  
Domino Michaeli Napotnik  
Episcopo Lavantino  
Marburgum.

## 40.

### Urbis et Orbis.

#### Decretum de regulis seu normis ad dignoscendas veras Indulgentias ab apocryphis.

Inter cetera quae huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae munera sunt tributa, illud supereminet secernendi nimirum veras Indulgentias ab apocryphis easque proscribendi. Cui quidem muneri satis ipsa fecit plurimis editis ad haec usque tempora decretis de apocryphis Indulgentiis in authentica Decretorum collectione contentis. Verum etsi haec S. Congregatio vigilans ab ipso suaie institutionis exordio semper exstiterit quoad Indulgentiarum publicationem, ne falsae in Christianum populum irreperent, nihilominus, quum hac etiam nostra aetate non desint, qui, vel mala voluntate, aut etiam irrationali zelo perculsi, falsas, vel ut minimum valde suspectas, Indulgentias sive orationibus, sive piis exercitiis adnexas propalare inter fideles non vereantur, hinc factum est, ut plures Antistites hanc S. Congregationem adiverint, ut de aliquibus Indulgentiis suum iudicium ederet. Id potissimum praestiterunt ea causa permoti ut non solum verae a falsis Indulgentiis discernerentur, sed praesertim ut Ecclesiae hostibus via praecluderetur eam calumniandi, et aspernendi coelestem Indulgentiarum thesaurum.

Porro S. Congregatio ut huic malo, quoad fieri posset, praesens remedium adhiberet, regulas seu normas quasdam statuere excogitavit, quibus prae oculis habitis nedum locorum Ordinariis, sed et ipsis Christifidelibus facilis aperiretur via ad dignoseendum quodnam sit ferendum indicium de aliquibus Indulgentiis, quae passim in vulgo eduntur, dubiamque praeseferunt authenticitatis notam.

Hoc vero S. Congregationis propositum Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII. delatum, eadem Sanctitas Sua illud approbavit iussitque quam primum executioni mandari.

Quare S. Congregatio, adhibito studio Reverendissimorum Consultorum, Indicem praedictarum regularum elucubrandum curavit; quem deinde in generali Congregatione ad Vaticanum coadunata die 5. Maii 1898 examini Eminentissimorum PP. Cardinalium subiecit. Hi vero postquam praefatum Indicem mature perpenderint, eumdem in aliquibus immutatum, in altera Congregatione denuo expendum sibi reservarunt.

Quod quidem actum est in generalibus Comitiis ad Vaticanum habitis die 3. Augusti 1899, in quibus Eminentissimi et Reverendissimi Patres Indicem uti infra proponendum censuerunt:

#### Regula I.

*Authenticae sunt omnes indulgentiae, quae in novissima Collectione a S. Indulgentiarum Congregatione edita continentur.*

#### Regula II.

*Indulgentiae generales, quae in supradicta Collectione non exhibentur, vel quae concessae feruntur post editam Collectionem, tunc solummodo habenda erunt ut authenticae, cum earumdem concessionis autographum monumentum recognitum fuerit a S. Indulgentiarum Congregatione, cui, sub nullitatis poena, exhibendum erit antequam publicentur.*

#### Regula III.

*Authenticae habeantur Indulgentiae concessae Ordinibus et Congregationibus religiosis, Archiconfraternitatibus, Confraternitatibus, Archisodalitiis, Sodalitiis, piis Unioni-*

bus, piis Societatibus, nonnullis Ecclesiis celebrioribus, Locis piis et Obiectis devotionis, quae continentur in Summariis recognitis et approbatis a S. Congregatione Indulgientiarum, eiusque auctoritate vel venia typis editis.

Regula IV.

Non habeantur ut authenticæ Indulgientiae sive generales, sive particulares, quae continentur in libris, in libellis, in summiis, in foliis, in chartulis, sive etiam in imaginibus, impressis sine approbatione auctoritatis competentis; approbatio concedenda erit post diligentem recognitionem et distincte exprimenda.

Regula V.

Apocryphae, vel nunc prorsus revocatae, sunt omnes Indulgientiae mille vel plurium millium annorum quocumque tempore concessae dicantur.

Regula VI.

Suspectae habeantur Indulgientiae plenariae, quae asseruntur concessae recitantibus pauca dumtaxat verba: exceptis Indulgentiis in articulo mortis.

Regula VII.

Reiiciendae sunt ut apocryphae Indulgientiae, quae circumferuntur in libellis, foliis seu chartulis impressis vel manuscriptis, in quibus ex levibus aut etiam superstitionis

causis et incertis revelationibus, vel sub illusoriis conditiobibus promittuntur Indulgientiae et gratiae usum et modum excedentes.

Regula VIII.

Uti commentitia reiicienda sunt folia, et libelli, in quibus promittitur fidelibus unam alteramve precem recitantes liberatio unius vel plurium animarum a Purgatorio: et Indulgientiae, quae dictae promissioni adiici solent ut apocryphae habendae sunt.

Regula IX.

Apocryphae, vel saltem ut graviter suspectae, habeantur Indulgientiae recentioris assertae concessionis, si ad inusitatum numerum annorum vel dierum producuntur.

Quas quidem regulas per me infrascriptum Cardinalem eiusdem S. Congregationis Praefectum Sanctissimo Domino Nostro Leoni PP. XIII. relatas in Audientia diei 10. Augusti 1899 eadem Sanctitas Sua approbavit, mandavitque per generale Decretum publicari.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 10. Augusti 1899.

Fr. Hieronymus M., Card. Gotti, Praefectus.

† A. Sabatucci, Archiep. Antinoen., Seer.

L. ☩ S.

## Commentarii in supradictas regulas, approbante S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque reliquiis praeposita ad opportunitatem adiecti.

### Ad Regulam I.

Haec regula respicit collectionem vulgo: *Raccolta di Orazioni e pie Opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze.* — Roma, Tipografia della S. C. di Propaganda Fide, 1898. — Regulæ vero fundamentum ex ipso fine, quem sibi S. Congregatio in edendo illo libro praestituit, manifeste patet. Iam enim anno 1877, quando prima editio Collectionis, de qua agimus, ex officio ab ipsa hæc Sacra Congregatione publicanda praeparabatur, in Decreto praevio haec legebatur declaratio: „Summus Pontifex benigniter annuit, ut authenticæ omnium et singularum precum piorumque operum, quae usque ad praesentem diem indulgentiis ditata vel aucta fuere, sylloge seu Collectio per Secretariam eiusdem S. Congregationis, quam diligentissime conficeretur.“ Ideo illa prima, et postea anno 1886 pariter secunda editio ab eadem S. Congregatione declarata est authenticæ; nunc vero in Decreto tertiae editioni anni 1898 praefixo ita legitur: „Huiusmodi Collectionem typis S. Congregationis de Propaganda Fide eusam idem SS. D. N. Leo PP. XIII. sua apostolica auctoritate approbavit: eaque proinde uti genuina et authenticæ Sylloge Indulgientiarum hactenus pro-

universis Christi fidelibus et pro quibusdam eorum coetibus ibidem designatis concessarum ab omnibus est retinenda.“

### Ad Regulam II.

Approbantibus Benedicto PP. XIV., et Pio PP. IX., a S. Congregatione Indulgientiarum diebus 28. Ianuarii 1756 et 14. Aprilis 1856 Decretum est promulgatum huius tenoris (Dec. Auth. S. C. Indulg. n. 205 et 371): „Cum experientia quotidie comperiatur, complures indulgentiarum concessiones generales expediri inscia S. Congregatione, ex quo multi promanant abusus ac confusiones, re mature perpensa, praesenti Decreto declaravit, impetrantes posthac huiusmodi generales concessiones teneri sub nullitatis poena gratiae obtentae exemplar earumdem concessionum ad Secretariam eiusdem S. Congregationis deferre.“ Id tamen valet tantum quoad indulgentias omnino et sub omni respectu generales: qua scilicet concessae sunt omnibus fidelibus pro quibusdam precibus vel piis operibus, et quidem in perpetuum; non valet de iis, quae requirunt insuper adscriptionem in piam Unionem etc., vel visitationem determinatae ecclesiae, vel quae obligationem imponunt

deferendi certum scapulare vel numisma etc., vel quae ad tempus quoddam determinatum conceduntur: istae omnes indulgentiae potius particulares censendae sunt, ad quas Decretum Benedicti XIV. et Pii IX. non sese extendit.

Constare autem poterit de recognitione indulgentiarum novarum generalium a S. Congregatione peracta, si indulgentiae istae exhibentur a libris vel auctoribus omni fide dignis qui ab ipsa S. Congregatione eiusmodi concessiones accipiunt, vel saltem, eadem permittente, eas lectoribus suis communicant.

#### Ad Regulam III.

Agitur hic de indulgentiis non omnino generalibus, de quibus in regula praecedenti, sed aliquo modo particularibus, ut patet ex ipso tenore huius regulae. Iamvero quedam ex Summariis hic nominatis, uti statim in regula sequenti dicetur, a solis Episcopis recognosci et approbari possunt; alia vero S. Congregationi Indulgentiarum necessario sunt proponenda pro recognitione et approbatione. Patet autem huiusmodi Summaria omnia, si certo ab ipsa S. Congregatione recognita et approbata fuerint, ab omnibus ut certo authentica habenda esse neque alia recognitione et approbatione Episcorum indigere, etiamsi forte recognitio et approbatio Episcopalis per se sola sufficiens fuisset.

#### Ad Regulam IV.

In nova Constitutione de Prohibitione et Censura Librorum Decretum XVII ita habet: „Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.“ Et in Decreto XV. legitur: „Imagines quomodocumque impressae D. N. I. C., B. M. V. etc., sive preces habeant aenaxas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticae auctoritatis licentia non publicentur.“ Hinc patet, de authenticitate indulgentiarum generalium sive particularium, quomodocumque impressarum non constare, nisi adsit approbatio auctoritatis competentis; deficit enim elementum necessarium et praescriptum ad authenticitatem cognoscendam et stabiliendam.

Dicitur autem probatio *distincte exprimenda*, id est cum nomine approbantis, cum loco et tempore approbationis datae.

*Auctoritas competens* in genere est ipsa S. Congregatione Indulgentiarum, exceptis tamen casibus sequentibus, in quibus etiam approbatio Ordinarii loci sufficit (Decr. auth. n. 383):

1. Si agatur de edenda concessione alicuius indulgentiae particularis, vel de edendo Summario indulgentiarum, quod ex uno tantum Brevi Apostolico vel Rescripto desumendum est;

2. Si agatur de Summario ex auctoritate S. Congregationis iam vulgato, excepto tamen elenco indulgentia-

rum, ut aiunt, Apostolicarum (pro coronis, numismatibus etc.), qui ubique et quovis idiomate edatur, approbationem S. Congregationis requirit; excepta etiam quavis versione integrae Collectionis Indulgentiarum „Raccolta“ dictae; singulae tamen indulgentiae in eadam contentae auctoritate Episcopi, ut patet, publicari possunt;

3. Si agatur de Summariis illarum Confraternitatum, quae ex concessione S. Sedis ab Institutis Religiosis eriguntur vel ab Archiconfraternitatibus aggregantur; tunc enim sufficit recognitio et approbatio Episcopi illius loci, ubi eiusmodi Instituta religiosa vel Archiconfraternitates sedem principalem habent (Decr. Auth. n. 388).

In omnibus aliis casibus recognitio et approbatio ipsius S. Congregationis requiritur, praesertim si agatur de Summario indulgentiarum vel antea collecto, sed numquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessoribus colligendo.

Patet denique, huicmodi Summaria omnia, si certo iam ab ipsa S. Congregatione recognita et approbata fuerint, ab omnibus ut certo authentica habenda esse, neque alia recognitione et approbatione Episcorum indigere, etiamsi forte ex dictis recognitio et approbatio episcopalis per se sola sufficiens fuisset.

#### Ad Regulam V.

Indulgentiae huius generis a gravissimis auctoribus semper indicatae sunt alienae ab usu Sedis Apostolicae. Revera si concessae referantur ante saeculum XIV., stare non possunt cum antiquiori Ecclesiæ disciplina (ita Theodor. a Spiritu Sancto de Indulgentiis II, 247): manifesto enim constat saeculo XIII. et etiam XIV. adhuc indulgentias fuisse valde exiguae (v. g. 10, 20, 40 dierum, unius anni, raro 5 annorum vel 7, rarissime 20 annorum). Quod si posterioribus saeculis attribuantur, multa quidem extant authentica Decreta, quibus eiusmodi indulgentiae reprobantur ut apocryphae, sed ne unum quidem adhuc afferri potuit documentum talis concessionis, quod sit *certo authenticum*. Si vero aliquod dubium de quadam huius generis indulgentia extare posset, nuper Decreto huius S. Congregationis d. d. 26. Maii 1898 omnes indulgentiae mille vel plurimum millium annorum sunt revocatae: ita ut hodie ne una quidem admitti possit.

#### Ad Regulam VI.

Christifidelibus in articulo mortis constitutis Summi Pontifices magna liberalitate indulgentiam plenariam concedere consueverunt, ea sub conditione, ut saltem contriti corde (si Sanetissima Sacra menta Poenitentiae et Communionis recipere non potuerint) nomen Iesu ore, vel saltem corde, devote invocaverint, et mortem ut stipendium peccati de manu Domini aequo animo suscepserint. Sed praeter articulum mortis indulgentiam plenariam fidelibus

pauca dumtaxat verba recitantibus concedere nunquam mos fuit Sanctae Sedis. Revera in tota Collectione authentica precum piorumque operum, quae „Raccolta“ dicitur, ne unum quidem exemplum huius generis invenitur; si forte excipias orationem illam notissimam „En ego, o bone et dulcissime Iesu“, ante imaginem Crucifixi recitandam. Sed in primis ea oratio non adeo paucis verbis constat et in ea supponitur aliqua meditatio dolorum ac vulnerum Iesu Christi Crucifixi, ac praeterea ad plenariam indulgentiam lucrandam confessio et communio et etiam preces ad mentem Summi Pontificis requiruntur. Quare hic repeti potest, quod in praecedenti regula explicanda dicebatur, nullum scilicet extare documentum *certo authenticum*, quo Christifidelibus pauca solum verba recitantibus concessa fuerit unquam a Summis Pontificibus indulgentia plenaria; multa vero Decreta certa tales indulgentias ut apocryphas vel suspectas repudiant.

#### Ad Regulam VII.

Haec regula explicatione vix indiget. Cum enim indulgentiae ex piis solummodo et rationabilibus causis concedi debeant, S. Sedes nunquam eiusmodi naenias vel ridicula vel impossibilia promisit in elargiendis indulgentiis: immo ne fallaci spe et noxia praeceptione fidelium mentes deciperentur, plura Concilia opportune eos monuerunt, ne libellis vel scriptis huiusmodi temere fidem haberent (Cfr. Theodor. a Spir. Sancto II, pag. 327). Sane catalogi indulgentiarum a Summis Pontificibus proscriptarum id manifeste evincunt. Sufficiat ex multis citare orationem quamdam, quae inventa fuisse dicebatur in sepulcro D. N. I. C. et revelata olim Sanctis Elisabethae, Reginae Hungariae, Mechtildi et Birgittae, quae quidem cum omnibus suis promissionibus extravagantibus iam anno 1678., et nunc iterum Decreto 26. Maii 1898 ab hac S. Congregatione ut apocrypha reprobata est.

#### Ad Regulam VIII.

Etsi Summi Pontifices praeteritis saeculis ea etiam formula in indulgentiis concedendis usi sint, ut Christifidelibus certas orationes (non pauca tantum verba, ut supra in regula sexta) recitantibus, vel pia quaedem opera

peragentibus liberationem unius animae ex purgatorio promitterent, id tamen communiter alio sensu intelligi non debet, quam ut indulgentia quaevis plenaria fidelibus viventibus a Summis Pontificibus oblata, etiam animae cuiuscumque in purgatorio detentae applicabilis declarata fuerit, ut fert stylus Curiae hodie usitatus. Certo autem ex authenticis documentis probari nequit, quemquam illorum liberationem plurium simul animarum a purgatorio unquam promisisse, multoque minus pro recitatione unius alteriusve precis tantum.

Quemadmodum igitur assertiones eiusmodi ut male fundatae haberi debent, ita etiam indulgentiae promissionibus talibus adiectae, ut apocryphae nulliusque valoris reiiciendae sunt: eo vel magis quod eiusmodi indulgentiae plerumque iis inusitatis modumque excedentibus sunt accensendae, de quibus in regula praecedenti dictum est.

#### Ad Regulam IX.

Ecclesia ex multo iam tempore indulgentias partiales, ut notum est, certis quibusdam formulis stabilibus concedere solet, uti v. g. 50, 100, 200 vel 300 dierum, vel unius anni, vel 3, 5, 7 annorum et totidem quadragenarum; sed a praxi Sedis Apostolicae omnino alienae sunt indulgentiae v. g. 1080 dierum, quemadmodum legebantur indicatae in quibusdam numismatibus B. M. V., quae ante quadraginta fere annos Laureti vendebantur: quae ideo ab hac S. Congregatione die 23. Februarii 1856 declaratae sunt apocryphae (Decr. auth. n. 270). Nostris hisce diebus saepe in foliis ideo indulgentiae maximi dierum numeri indicantur, quia auctores seu editores *numeros annorum et quadragenarum proprio suo arbitrio in correspondentes numeros dierum converterunt*; ita ut calculo huiusmodi facto statim mille vel plura millia dierum indulgentiae prodierint. Quod quidem ex aemulatione quadam non laudabili provenire indubium est: ita enim demonstrare ad oculos volunt, indulgentias v. g. unius confraternitatis vel pii operis esse maiores illis, quae aliis similibus fuerunt concessae. Desiderandum valde est ut Ordinarii locorum eiusmodi schedas vel libellos minime approbent, etiamsi calculus veritati undeque respondere videretur.

#### 41.

### Einladung zur Theilnahme an der Feier der Heiligsprechung des seligen Joannes Bapt. de la Salle und der seligen Rita a Cassia.

Im Jahre 1897 ist anlässlich der Heiligsprechung des seligen Peter Fourier und des seligen Anton Maria Zaccaria, die am hohen Christihimmelfahrtsfest den 27. Mai des genannten Jahres im St. Petersdome zu Rom in feierlicher Weise vor sich gieng, an den hochwürdigsten Ordinarius die gleiche Einladung erfolgt, von welcher auch Gebrauch gemacht worden

ist. Der gegenwärtigen erfreulichen Einladung zur Theilnahme an der erhebenden kirchlichen Feier dieser Heiligsprechung für das hohe Christihimmelfahrtsfest den 24. Mai 1900 konnte leider wegen der sich dringenden oberhirtlichen Amtspflichten nicht nachgekommen werden.

### Perillustris ac Reverendissime Domine uti frater!

Laeto tibi animo affero, Sanctissimum D. N. Leonem PP. XIII. in consistorio hac die habito consilium inivisse, ut die 24. proximi mensis Maii, Ascensioni D. N. Iesu Christi saera, in Sanctorum album accenseat beatum Ioannem Baptistam de la Salle, Congregationis fratrum Scholarum Christianarum fundatorem, ac beatam Ritam a Cassia, monialem professam Ordinis S. Augustini; et Decessorum suorum vestigiis inhaerendo constituisse, duo semipublica consistoria ante eam diem haberi, ut in tanti momenti re sententiam Episcoporum roget.

Quapropter omnibus et singulis Romanae provinciae Praesulibus per praesentes S. C. Concilii litteras indicit, ut decem dies ante Ascensionem Domini, nisi graviter aliquid obstet, in Urbe esse eurent, hisce semipublicis consistoriis et tantae solemnitati interfuturi; ceteros vero Italiae ac proximarum regionum Antistites, ut romanum iter ad

eudem finem aggrediantur, peramanter invitat; et remotoribus Episcopis faustum iucundumque eventum saltem nuntiari constituit.

Indulsit autem Sanctitas Sua, ut qui sacris hisce solemnibus intererit obligationi satisfaciat Visitationis SS. Liminum, qua unusquisque Episcopus prima proxima vice tenetur.

Quae dum de mandato Sanctissimi nota tibi facio, obsequenti animi studio me profiteor

Amplitudinis Tuae

Romae ex S. Congr. Concilii die 19 aprilis 1900.

uti fratrem

**Angelus Card. Di Pietro Praefectus.**

Perillustri ac Reverendissimo Domino

Episcopo Lavantino.

† **Beniaminus Archiep. Nazianzenus Secretarius.**

### Monitum.

Reverendissimi Domini Episcopi, qui secundum adiunctam S. C. Concilii invitationis tesseram Romae sacris Canonizationis solemnis intererunt, oportet ut quamprimum infrascripto Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto (Romae, via Vignaccia, 120) per epistolam significant, quo circiter die venturi sint, et ubi constituturi sibi sint domicilium, ut Praesulum numerus opportune cognoscatur, et schedulas, intimationes, neenon a S. Rituum Congregatione Canonizandorum acta pro Consistoriis tempestive accipere quisque possit.

Iidem Sacrorum Antistites secum deferent vestes praelatitias laneas violaceas, cum Mantelletto pariter laneo violacei coloris, Biretum, Rocchetum, Pluviale simplex ex lana argentea, sin minus ex serico damasceno albo, Ami-

ctum, Mitram lineam ex tela alba, et Cappam laneam violaceam pro Consistoriis pellibus armellineis ornata.

Antistites autem Cardinalitia dignitate praefulgentes, praeter vestes et Cappas Cardinalitias tam rubei quam violacei coloris, cum pellibus armellineis, pro die solemnis Canonizationis habebunt calceos rubeos, Amictum, Planctam albam opere phrygio aureo distinctam, mitram serico damascenam cum Vimpa, et Superpelliceo pro Capellano Caudatario, qui induet vestem sericam violaceam, cum Crocea lanea violacei pariter coloris.

De Mandato Sanctissimi D. N. Papae  
Romae, 19. Aprilis 1900.

**Franciscus Raggi**  
*Proton. Ap. Caerem. Praefectus.*

### 42.

#### Die Ordination und die Ordinanden.

Unter Hinweisung auf die h. ä. Ordinariats-Erlässe vom 5. Juli 1854, §. 1022/3 und vom 31. Mai 1855, §. 1043/4 und in Gemäßheit der Anordnung des Concils von Trient sess. 23. de ref. e. 5 wird hiermit kundgemacht, dass die höheren hl. Weihen heuer im Monate Juli, u. zw. das Subdiaconat am 16., das Diaconat am 18. und das Presbyterat am 20. in der hiesigen Domkirche werden ertheilt werden, zu welchen Weihen die nachbenannten F. B. Lavanter Alumni befördert werden sollen:

Aus dem IV. Jahrgange die Herren:

Adlašnik Franz aus Laibach und Planinc Franz von Hörberg. *Postscriptum /*

Aus dem III. Jahrgange die Herren:

Bosina Johann aus Dobova, Florjančič aus Studeniz, Gorican Johann von St. Lorenzen am Draufelde, Jager Augustin von St. Jakob in W. B., Kociper Johann von Großsonntag, Kosi Jakob von hl. Kreuz bei Luttenberg, Matthias Slavič von hl. Kreuz bei Luttenberg und Franz Spindler von Kleinsonntag.

Dieses ist am sechsten Sonntage nach Pfingsten dem gläubigen Volke von der Kanzel mit der Aufforderung bekannt zu geben, Gott um gute, berufstreue Priester zu bitten und falls jemand gegen die vorgenannten Ordinanden mit Grund etwas vorzubringen hätte, es nicht zu verhehlen.

43.

Weisungen zur Abschließung von Verträgen.

Über Erlass der hochlöblichen k. k. Statthalterei vom 18. Februar 1900, §. 3614 und im Sinne des Rescriptes der wohlköblichen k. k. steiermärkischen Finanz-Procuratur vom 27. April 1900, §. 5083 sieht sich das fürstbischöfliche Ordinariat veranlaßt, in Betreff der Abschließung von die kirchlichen Institutionen berührenden Verträgen Nachstehendes zu verordnen.

Es ereignet sich nicht selten der Fall, daß eine Pfründen- oder Kirchenvorstehung in die Lage kommt, einen Vertrag, der das Interesse der Pfründe oder der Kirche wesentlich tangiert, verabreden und abschließen zu müssen. Hierbei kommt es nicht bloß auf die Vertragsbedingungen, sondern auch auf den Wortlaut des Vertrages an, damit das Interesse der Pfründe oder der Kirche gewahrt und der Gefahr einer Übervortheilung der Pfründe, beziehungsweise der Kirche oder jener eines Proceßes im vorhinein begegnet wird.

Da überdies für jede Veränderung der Substanz des Pfründen- oder des Kirchenvermögens die kirchliche und landesfürstliche Bewilligung nach den bestehenden Gesetzen erforderlich ist, diese aber nicht erfolgen kann, wenn die in Frage stehenden Verträge nicht rechtssärmig verfaßt sind, so liegt es auf der Hand, daß die Pfründen- und Kirchenvorstehungen dieser sich im vorhinein versichern sollen, damit von den Behörden der Vertrag nicht für ungültig erklärt oder erst durch Nachträge korrigiert werden muss. In beiden Fällen erwachsen für die Pfründe, beziehungsweise für die Kirche überflüssigerweise Auslagen, die nicht eintreten würden, wenn der bezügliche Vertrag richtig verfaßt wäre.

Um nun dieser Unzulänglichkeit, sowie anderen Complicationen, die aus unrichtig oder mangelhaft verfaßten Verträgen sich ergeben können, nach Möglichkeit zuvorzukommen, ergeht hiermit an die wohllehrwürdigen Seelsorgspräster die gemessene Weisung, jeden Vertrag, ob er nun die Erwerbung eines Objectes für die Pfründe oder die Kirche, oder die Veräußerung oder Verpachtung eines kirchlichen oder

pfründlichen Stamm-Objectes betreffe, ausnahmslos vorerst im Entwurfe anher einzusenden und das Ansuchen um kirchliche und landesfürstliche Bewilligung zur Abschließung des verabredeten Vertrages demselben beizufügen. In Betreff dieses Entwurfes ist es gemäß dem Schreiben der wohlköblichen k. k. steierm.-Finanz-Procuratur vom 22. Mai 1900 Zahl 5902 sehr zweckmäßig, solchen halbbrüchig zu schreiben, da dadurch ermöglicht wird, Einschaltungen oder Abänderungen, wenn sie nothwendig sein sollten, in demselben unmittelbar ersichtlich zu machen und so weitwendige Darlegungen in den Zuschriften zu vermeiden. Indem aber die Überprüfung des Vertragsentwurfs füglich nur in dem Falle geschehen kann, wenn die nötigen Prüfungsbehelfe dem Entwurfe beiliegen, so sind solche stets diesem schon beizugeben. Wenn sodann die Bewilligung zur beantragten Transaction erfolgt und der überprüfte Vertragsentwurf an die Pfründen- oder Kirchenvorstehung rückgelangt ist, so hat sie genau an die Weisungen, welche im Begleitschreiben angegeben werden, bei der Ausfertigung sich zu halten und neue, eigenmächtige Änderungen im Vertrage nicht vorzunehmen.

Hierbei wird bemerkt, daß Verträge, welche die Pfründe betreffen, nur der Pfarrer als legaler Vertreter der Pfründe zu fertigen hat, während Verträge, bei denen sich um das Vermögen der Pfarr- oder Filialkirche handelt, gemäß der Bestimmung des § 32 der fürstbischöflichen Lavanter Ordinariats-Currende vom 22. September 1859, Nr. 1599, die Kirchenvorstehung d. h. der Pfarrer und die beiden Kirchenpröpste zu unterschreiben haben. Nach § 3 des Gesetzes vom 4. Juni 1882, R.-G.-Bl. Nr. 67 ist eine Legalisierung der Unterschriften der Kirchenvorstandsmitglieder nicht erforderlich und hat demnach stets zu unterbleiben.

Wenn schließlich der Vertrag ordnungsgemäß ausgefertigt ist, so ist er sammt allen Beilagen, die bereits den Behörden vorlagen, — den Vertragsentwurf mitgerechnet — wieder anher zur Genehmigung in Vorlage zu bringen.

44.

Diözesan-Nachrichten.

Eruant wurde der P. T. Herr Laurentius Herg, infusierter Domdechant des F.-B. Lavanter Domcapitels und F.-B. Consistorialrath, zum Director der F.-B. Ordinariatskanzlei in Marburg.

Bestellt wurden: Titl. Herr Simon Gabere, F.-B. Geistl. Rath und Pfarrer in Frauheim, als Administrator des Decanates Draufeld; Herr Andreas Giese, Priester des Deutschen Ritter-Ordens und Pfarr-

administrator in Großonntag, als Stadt-pfarr-Administrator in Friedau; Herr Jakob Menhart, als Provisor in Großonntag.

Wiederangestellt wurde Herr Franz Gartner, Stadt-pfarrprovisor in Friedau, als Kaplan in Laf.

Übersetzt wurden die Herren Kapläne: Friedrich Horvat nach Pettau, Franz Krošelj nach Tüffer und Johann Rožman nach Haibin.

F.-B. Lavanter Ordinariat zu Marburg,

am 1. Juni 1900.



Michael,  
Fürstbischof.